

Lenzin:¹ hæc civitas super posita est unum flumen quod vocatur Caramoram;² hoc flumen per medium Cathaii transit, cui magnum dampnum infert quando rumpit, sicut est Padus transiens per Ferrariam.³ Dum sic irem per flumen istud versus orientem, multis dietis transiens per terras multas et civitates veni ad civitatem unam quæ vocatur Suzumato.⁴ Hæc civitas habet majorem habundantiam serici quam forte aliqua terra de mundo, nam quando ibi major caritudo serici possit esse, bene tamen xl libræ habentur minori viii solidorum grossorum.⁵ In ea etiam est magna copia omnium mercimoniorum, similiter etiam panis,⁶ omnique aliorum bonorum.

37. *De civitatibus magnis Cambalec atque Taydo, et de Palatio Canis.*

Tunc de ista civitate recedens, transiens per multas civitates et terras versus orientem, veni ad illam⁷ nobilem civitatem Cambalec: hæc civitas multum est vetus et antiqua, quæ est [in] illa provincia Cathaii. Hanc ceperunt Tartari, juxta quam ad dimidium miliare unam aliam civitatem fecerunt nomine Caydo;⁸ hæc xii portas habet, intra quamlibet quarum sunt duo miliaria magna, unde in⁹ utramque civitatem bene habitatur¹⁰ et circuitus istarum duarum civitatum plura ambit quam xl miliaria. In hâc civitate, Canis¹¹ ille magnus suam sedem habet, ubi etiam unum palatium suum magnum habet, cujus muri¹³ bene per quatuor miliaria circueunt. Intra quod spatium multa alia pulchra palatia¹⁴ sunt. In curtivo hujus palatii magni factus est mons unus, in quo edificatum est unum palatium aliud quod est pulcherrimum de mundo. Hic etiam mons arboribus est plantatus, propter quod Mons Viridis nominatur. A latere montis hujus factus est unus magnus lacus, per transversum cujus unus pons pulcherrimus factus est. In isto lacu tot sunt anseres silvestres, anathes, et Cesenæ¹⁵ quod valde mirabile est, unde quando vult venari non oportet eum domum exire pro venatione, cum illa sit in domo. In hoc etiam palatio sunt viridaria plena diversis generibus bestiarum, quas quantumque vult ipse venari potest absque hoc quod extra domum vadat. Palatium autem ipsum in quo sedes sua est multum magnum et pulchrum est, cujus terra duobus passibus elevata est. Ipsum interius habet xxiiii¹⁶ columpnas de auro. Omnes muri ejus cooperti sunt pellibus rubeis, de quibus dicitur quod

¹ *Far.* Lencim; *Hak.* et *Mus.* Lencyn; *Boll.* Lensium; *Marc.* Lenzin.

² *Ven.*, *Hak.* Caramoran; *Far.* Tharamoram; *Boll.* Tharamorim; *Marc.* Caramoram.

³ *Ven.* Dum rumpitur sicut facit Padus Ferrariæ.

⁴ *Far.* et *Boll.* Sucumat; *Hak.* Sumacoto; *Mus.* Sumakoto; *Marc.* Suzumato.

⁵ *Ven.* viii grossorum *simply*. So *Far.* *Boll.* octo solidis grossorum minorum.

⁶ *Far.* vini; *Hak.* panis vini carniū piscium et omnium specierum electarum. *Nearly so also in Mus.*

⁷ *Mus.* nominatam et nobilem.

⁸ *Ven.* Taydo; *Far.* et *Hak.* Caido; *Mus.* Taydo; *Boll.* Thayde; *Marc.* Taydo.

⁹ *Ven.* et inter, *instead of* unde in, and *Mus.*

¹⁰ *Hak.* ita quod faciunt quasi unam civitatem.

¹¹ *Boll.* *incorrectly* et numquam civitas bene per homines habitatur.

¹² *Ven.* Chaam.

¹³ *Boll.* cujus muri per quadrum se extendunt.

¹⁴ *Hak.* et *Mus.* dominorum de familiâ suâ.

¹⁵ *Ven.* Cesani; *Far.* Cesenæ; *Hak.* *has only* anserum silvestrium; *Mus.* anserum, anatum et omnium aliarum avium aquaticarum; *Marc.* *has* Cesani.

¹⁶ *Hak.* 14.